

T18

## Bellum Iugurthinum 63-64

### Mario e Metello

**63 (1)** Per idem tempus Uticae forte C. Mario per hostias dis supplicanti magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat: proinde quae animo agitabat, fretus dis ageret, fortunam quam saepissime experiretur; cuncta prospere eventura. **(2)** At illum iam antea consulatus ingens cupidus exagitabat, ad quem capiendum praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant: industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens domi modicus, lubidinis et divitiarum vitor, tantummodo gloriae avidus. **(3)** Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. **(4)** Ergo, ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus facile *<factis>* notus per omnis tribus declaratur. **(5)** Deinde ab eo magistratu alium, post alium sibi peperit, semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore quam gerebat dignus haberetur. **(6)** Tamen is ad id locorum talis vir – nam postea ambitione praecipus datus est – consulatum adpetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebs, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. **(7)** Novos nemo tam clarus neque tam egregius factis erat, quin indignus illo honore et *<is>* quasi pollutus haberetur.

**64 (1)** Igitur ubi Marius haruspis dicta eodem intendere videt, quo cupidus animi hortabatur, ab Metello petundi gratia missionem rogat. Quoi quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia, commune nobilitatis malum. **(2)** Itaque primum conmotus insolita re mirari eius consilium et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet neu super fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupienda esse, debere illi res suas satis placere; postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur. **(3)** Postquam haec atque alia talia dixit neque animus Mari flectitur, respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese quae petret. **(4)** Ac postea saepius eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire: satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti. Quae res Marium quom pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer adcenderat. **(5)** Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari; neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret; milites, quibus in hibernis praeverat, laxiore imperio quam antea habere; apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminose simul et magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum; ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gauderet, **(6)** quae omnia illis eo firmiora videbantur, quia diuturnitate belli res familiaris conruperant et animo cupienti nihil satis festinatur.